

In articulo mortis.

In festo principali.

Sexag. dierum in p. generatis operibus piis.

Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam.

§.2. Ac eisdem nunc, & pro tempore existentibus Confratribus, & Confororibus, vere quoque poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam, vel Cappellam, seu Oratorium die festo principali ipsius Confraternitatis, a primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.3. Insuper eisdem vere etiam poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, Ecclesiam, vel Cappellam, seu Oratorium hujusmodi in Nativitatis, Purificationis, Annunciationis, & Assumptionis Beatae Mariae Virginis festis diebus, ut praefertur, visitantibus, & orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Missis, ac aliis divinis Officiis in dictis Ecclesia, vel Cappella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis ipsius Confraternitatis ubi vis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum, & Confororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum, tam in processibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, & quomodocumque pro tempore deferretur, comitati fuerint, aut si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem eisdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Confororum praedictorum, recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorant praeccepta Dei, & ea quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

§.4. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, & Confororibus praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo, vel ad tempus nondum elapsam duraturam concesserimus, praesentibus nulla sint, quodque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel impositione aggregetur, vel quavis alia ratione uniat, seu

etiam quomodolibet instituat, priores, & quavis alia Litera Apostolica illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nulla sint.

Datum Romae apud S. Mariam Majoris, sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1639. Pontificatus nostri anno Decimosexto.

Dat. die 20. Julii 1639. An. XVI.

DCXIX.

Abrogatio omnium privilegiorum personalium Fratibus Minorum concessorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter ceteras apostolicae servitutis curas, quibus circa universalis Ecclesiae regimen humilitati nostrae a Domino commissum assidue premimur, ea Nos non parum sollicitos habet, ut personae Regulares divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipate, juxta Regularia eorum instituta salubriter regantur, & propterea, si quae felici eorum statui obesse, aut in aliquod Observantiae Regularis eorum, & disciplinae detrimentum vergere cognoscimus, ea, quantum Nobis ex alto conceditur, removemus, & prohibemus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci introductus fuerit abusus, ut passim a Superioribus Patres privilegiati efficiantur, ex quo magnum relaxationis otium aperitur, & gravissimum paupertati, & humilitati, quas dictus Ordo profitetur, nocentiam inferitur, & propterea unanimes vocalium in generali dicti Ordinis Capitulo nuper celebrato congregatorum voto abusus hujusmodi auctoritate nostra tolli desideratum fuerit;

§.2. Nos, qui regularem disciplinam ubique vigere, & omnem illius relaxationem viam praeccludi summo opere cupimus, de opportuno in praemissis remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnia, & quaecumque privilegia personalia quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ordinis Fratibus, cujuscumque dignitatis, qualitatis, & conditionis existant, charissimorum in Christo filiorum nostrorum. Regis Romanorum in Imperatorem electi, ac aliorum Regum Praedicatoribus, & Confessoribus dumtaxat exceptis, quocumque titulo, praetextu, causa, & occasione, & ad cuiusvis instantiam, & supplicationem, tam a Nobis, & Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, quam etiam a dilecto filio nostro Francisco Sancti Laurentii in Damaso Diacono Card. Barberino nuncupato

Exordium.

Causae hujus Condit.

Revocat privilegia hujusmodi Fratibus concessa.

Et ita, & non aliter iudicari decrevit.

Executores deputat, & contrafacientibus poenas imponit.

Contrariis derogat.

pato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostol. Protectore, aliisque ejusdem Ord. Protectoribus, ac quibuslibet Ordinis hujusmodi Superioribus hactenus quoquo modo contra, & praeter Regularia Ordinis praedicti instituta, & Apost. Const. concessa, harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illaque perpetuo revocata, annullata, cassata, abrogata, & abolita, juri-busque, & effectu vacua esse, & fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cetero a quoquam concedi posse.

§.3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique iudicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§.4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena excommunicationis, privationisque suorum officiorum, vocisque activae, & passivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis Ministro, ac Vicario, seu Commissario Generalibus, & Ministris Provincialibus, aliisque dicti Ordinis Superioribus, ut quamprimum praesentes nostrae litterae ad eorum notitiam pervenerint, omnes, & singulos Patres, & Fratres Ordinis hujusmodi similia privilegia habentes, illis eo ipso privatos, & spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant, vel permittant, inobedientes quomodolibet, & rebelles opportunitatis juris, & facti remediis juxta Regularia ejusdem Ordinis statuta, apostolica auctoritate confirmata, omni, & quacumque appellatione, reclamacione, & recursum remotis, compescendo.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Literis Apostolicis, super concessione, seu confirmatione concessionis privilegiorum hujusmodi emanatis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, & scientia, ac potestatis plenitudine similibus, in genere, vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis

habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personae alicujus in dignitate ecclesiastica constituta munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Julii 1639. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

Transumptis credi mandat.

Dat. die 23. Julii 1639. An. XVI.

DCXX.

Restitutio Patrum Provinciae, & revocatio, seu moderatio Motus proprii Gregorii XV. pro tota Familia Ultramontana Ord. Min. S. Franc. de Obsv.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Onerosa pastoralis officii cura Nobis ex alto, meritis licet imparibus, commissa crebro Nos admonet, ac inducit, ut ad statum Christianissimorum quorumlibet, praesertim regularem vitam profitentium salubriter dirigendum operosis studiis intendentes, ea, quae pro felici eorum gubernio, prosperaque directione provide statuta, & ordinata esse comperimus, apostolicae confirmationis robore confirmamus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Proemium.

§.1. Nuper siquidem ad aures nostras pervenit, quod deficientibus in Definitoriis omnium Provincialium Ultramontanae Familiae Ordinis Fratrum Minorum, Sancti Francisci, qui Ministro Generali ejusdem Ordinis subiiciuntur, iis, qui Provinciae Patres nuncupantur, & inibi praestantiores Judices, electoresque habentur, magna totus Ordo praedictus sustinet incommoda, & subditorum regimen, & officiorum provisio difficiliora in dies efficiuntur: ideoque communi Vocalium in Generali dicti Ordinis Capitulo nuperri-me celebrato congregatorum assensu decretum fuit Nobis supplicandum esse, ut omnes Patres Provincialium, quos felices recordationis Gregorius XV. Praedecessor noster per suas in simili forma Brevis litteras abtulit, & abolevit, Nos de benignitate apostolica restituere dignemur. Verumtamen re in Definitorio Generali ejusdem Ordinis maturius deliberata, de consensu dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac Ordinis praedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris statutum fuit, ut duotantum Patres Provinciae in praedicto regula-

Causae hujus Condit.



gularum Provinciarum Ultramontanae familiae hujusmodi Definitorio introducatur, unus scilicet, qui in Provincia reliquis dignior sit, ille nimirum, qui inter Patres Provinciae primum locum sibi vendicat, qui quidem semper in Definitorio assistat; alter vero, qui immediate triennio dumtaxat eam obtineat dignitatem, & in Definitorio assistat, ea lege tamen, ut si iste ex qualibet causa deficiat, in ejus locum subrogatus eo ipso sit, qui ante ipsum Minister Provincialis immediate extiterit; triennio autem hujusmodi transacto alius, qui Ministri Provincialis officio etiam immediate functus fuerit, subsequatur, & sic deinceps de triennio in triennium dumtaxat servetur, ita quod nunquam hi duo Patres in dictarum Provinciarum Definitoriis desiderentur. Quod si contingat, ut qui erit dignior, & perpetuus in Definitorio hujusmodi vigore praesentium literarum assistens alio titulo de eodem Definitorio existat, sibi que jus in illud ingrediendi competat, tunc in ejus locum ipso facto subrogatus sit ille Pater Provinciae, qui eidem dignitate proximus fuerit.

Instituit duos Patres pro de. finit. in Provin. cibus Ultra- montanae.

§.2. Quare Nos attendentes ea ratione, & multitudinem Patrum Provinciae auferri, ac de illis, qui pro felici Provinciarum hujusmodi directione, & gubernio necessarii sunt, sufficienter provideri, ac praedictarum Gregorii Praedecessoris hujusmodi literarum tenoribus, & datis praesentibus pro expressis, & insertis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris institutionem, seu restitutionem praedictorum duorum Patrum Provinciae pro Definitoriis Provinciarum praedictarum in dicto Definitorio generali, ut praefertur, factam apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolica firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praemissa ob- servari man- dat.

§.3. Decernentes illa, & praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Aliter Judica- ri non posse, decernit.

§.4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat, & penas contra facientes ad dit.

§.5. Quocirca dilectis filiis Ministro, & Vicario, seu Commissario Generalibus dicti Ordinis in virtute sanctae obedientiae praecipimus, & mandamus, ut praesentes literas, & in eis contenta quaecumque a sibi subditis omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet, sub excommunicationis, privationisque suorum officiorum, & vocis activae, & passivae poenis eo ipso incurrendis, debite exe-

quitioni demandari, ac inviolabiliter observari curent, & faciant.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus quoad praemissa dumtaxat praefati Gregorii Praedecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Ordinibus, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis quibuscumque, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum, etiam motu, scientia, & deliberatione similibus quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia ex qua sita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, qua praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Dat. die 27. Julii 1639. An.XVI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Julii 1639. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

DCXXI.

Declaratio, quod quaecumque actiones particularium personarum super Montibus, vel Locis Montium quorumcumque factae absque Sanctae Sedis, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendum literas patentes deputatorum licentia, non attendantur, nec afficiant Montes, & Loca hujusmodi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet nos ex pastoralis officii nostri debito providere, ne privatorum actionibus utilitati publica quomodolibet officiat.

Cause hujus Constat.

§.1. Quapropter, cum, ut accepimus, in Camera Apostolica, & forsan aliis Urbis nostrae Tribunalibus fuerit praesensum,

inter partes diversas controversum super articulo, an pacta, & obligationes particularium personarum afficiant loca Montium, sive Vacabilia, sive non Vacabilia;

Declarat non esse nitendas obligationes privatorum super Locis Montium.

§.2. Nos ad tollendam omnem praesensam ambiguitatem, & litium, quantumcum Domino possumus, occasionem, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque attributa Nobis potestatis plenitudine, quaslibet dispositiones, & actiones inter particulares personas, tam quoad hypothecas, & obligationes, quam quaecumque alia onera, seu vincula realia, vel in rem scripta, aut rei perceptorum super montibus, vel eorum locis cujuscumque generis tam vacabilibus, quam non vacabilibus, sive sint Camerales, sive Communitatum, vel Baronum, aut aliorum quorumcumque etiam Ducum, & Principum factas absque nostra, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendum literas patentes deputatorum licentia in eisdem literis patentibus exprimenda non esse attendendas, ac dispositiones, actiones, & obligationes privatorum hujusmodi afficere dumtaxat personas, ac quoad ipsas sustineri ad effectum, ut quando promissa, & conventa servare nolent, vel non possent, ad damna, & interesse teneantur, non autem ut jus, vel onus aliquod reale adjectum, seu impositum ipsis locis montium censeatur, neque illis vinculis, obligationibus, actionibus, & oneribus ullatenus loca montium praedicta sint obnoxia ad instar Romanae Curiae officiorum, in quibus similibus actionum nulla ratio habetur, sed solum nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis decreti, tenore praesentium declaramus, & ita imposterum etiam quoad praeterita non decisa per rem judicatam servari, interpretari, & definiri debere volumus, & mandamus.

Clausula praeservativa.

§.3. Decernentes praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, illis minime consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi, ac causa, propter quas eadem praesentes emanarunt, ad ductae, vel justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quocumque alio defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controversiam revocari, aut aliter quomodolibet infringi, vel limitari, & adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio quempiam uti, vel se juvare in iudicio, vel extra posse, sed semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Clausula sub- lara.

§.4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apostolici, & Curiae Camerae Apostolicae generales Auditores, ipsiusque Camerae

Praesidentes Clericos, ac S. R. E. Camerarium, & alios Card. etiam de latere Legatos nunc, & pro tempore existentes, ac quovis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans super addit.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, nostra de jure quaesito non tollendo, ac aliis Cancellariae Apostolicae regulis, & alia Urbis nostrae, ac Camerae praedictae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Camerae, illiusque Officialibus, & Ministris, ac Montibus Montium praedictorum, & generaliter quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium, ac quarumcumque litium, & eorum statum, aliorumque hic exprimentorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 28. Julii 1639. An.XVI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima octava Julii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1639. die vero 13. mensis Augusti, supradicta litera affixa, & publicata fuerunt in vasis Basilicae S. Petri de Urbe, ac Cancellaria Apostolica, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per nos Fulvium Marzellanum, & Carololum Pelosium Sanctiss. D. N. Papa Carveres.

Pro D. Mag. Curs. Antonius Bardus Dep.



Contra Superiores Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorem, qui favores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates, & gratias concedunt. Et contra eosdem Fratres dictos favores conquirentes &c.

Plures Summi Pontifices Regularibus prohibuerunt dignitatum ambitum, ut copiose habes in allatis jam Constat.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

A dmonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne Religiosis, qui regularem vitam professi seculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosius pateat accessus.

Prohibitio, prout in rub.

§. 1. Quocirca motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolica potestatis plenitudine dilectis filiis Ministro Generali, Commissario Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorem nuncupatorum Prælati, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum, quam ecclesiasticarum extra dictum Ordinem, constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque seculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, Imperiali fulgentium, cuius prædicti Ordinis Religiosi ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, & administrationes, functiones, & Prælaturas ejusdem Ordinis concedere audeant, quinimo dicti Ordinis Fratres Religiosos, qui contra decreta, hac via, & his mediis, per conquestos favores, & suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia, & similia, ac etiam majora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles declaramus.

§. 2. Insuper dictis Religiosis, & Fratribus ejusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus, & expresse interdiciamus, ut non solum in præmissis omnibus favores hujusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minime procuratos recipere, & similiter, nec ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant.

Transumptis credi mandat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si eidem Ordini, & Fratribus prædictis communi-

ter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Contrariis derogat.

§. 4. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima nona Julii 1639. Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

Dat. die 29. Julii 1639. An. XVI.

DCXXIII.

Quod Consilium Status Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Sede Magistrali vacante, possit quidem uti sua Ordinaria auctoritate in providendo rebus dicti Hospitalis, & Insulæ Meleвитanæ, non tamen adimere, seu diminueri privilegia, redditus, & jura magno Magistro competantia.

Re Regest. in Secret. Arcu.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum, sicut dilectus filius Joannes Paulus Lascaris Castellæ magnus Magister Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Nobis nuper exponi fecit, in Concilio status dicti Hospitalis vacante illius Sede Magistrali haberi solito major pars Fratrum Militum, qui ad dignitatem magno Magistri aspirare non possunt, illius auctoritatem, & redditus imminuere studeant, quod prout experientia docuit, nunquam eidem Hospitali profuit;

Causæ Decret. ti.

§. 2. Nobis propterea dictus Joannes Paulus magnus Magister humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune, ut infra, providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Magistri instantia.

§. 3. Nos igitur eundem Joannem Paulum magnum Magistrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, consilium status prædictum Sede Magistrali vacante, posse quidem ordinaria sua auctoritate in providendo rebus ipsius Hospitalis, Insulæque Melevitane, uti, non autem adimere, seu diminueri ullatenus præminentias, privilegia, auctoritates, prærogativas, redditus, & jura Magisterii, & ma-

Decretum, de quo in Rubrica.

& ma-

AN. CH. 1639.

& magni Magistri hujusmodi, sed illa omnia prout sunt, & erunt juxta statutorum, seu stabilimentorum, ac ordinationum capitularium ejusdem Hospitalis, apostolica auctoritate confirmatorum dispositionem, & possessionem ipsi magno Magistro quæsitam remanere debere apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, volumus, & ordinamus.

Clausula.

§. 4. Decernentes præsentibus literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac pro tempore existentes magnum Magistrum, & consilium, aliosque Judices, & Tribunalia dicti Hospitalis judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis Capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Augusti 1639. An. XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Augusti 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCXXIV.

Quod Ministri Provinciales Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia pro tempore existentes possint mittere Commissarios, qui eorum nomine in Capitulo Generali suffragium ferant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia ea, quæ in personarum Regularium Capitulis Generalibus interdum sancita, & auctoritate apostolica comprobata fuerunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, præsertim cum felici earundem personarum statui, & quieti opportune consulitur, immutat, in hisque sua sollicitudinis partes favorabiliter interponit, prout consipit in Domino salubriter expedire.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

§. 1. Alias siquidem in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. de Anno 1625. celebrato, inter alia conditum fuit statutum tenoris sequentis, videlicet. Caveant ex Indianis Provinciis Ministri Provinciales, ne ad Capitulum Generale, vel, aut ipsi, vel Commissarios suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultate concessa. Nosque statutum hujusmodi, illius tenore inserto confirmavimus, & approbavimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Causa hujus Constat.

§. 2. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Joan. Merinero d. Ordinis Minister Generalis, Patres in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in hac Alma Urbe nostra novissime celebrato congregati Ministris Provincialibus prædictarum Provinciarum Indiarum antiquum jus, quod habebant, ut ad Capitulum Generale Commissarios eorum nomine suffragium latus mittere possent, justis ex causis restituendum esse censuerint: Nobis propterea dictus Joannes Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Gen. supplicat Pontif. pro indulto, prout in rub.

§. 3. Nos igitur ejusdem Joannis Ministri Generalis votis annuere volentes, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ministris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad Capitulum Generale, dicti Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, ea tamen lege, ut tam Commissarii, qui mittentur, quam etiam Custodes, filii earum Provinciarum respective sint, pro quibus mittentur, vel in eis incorporati, sive in Indiis, sive in aliis Europæ partibus existant, dummodo ad electionis effectum non incorporentur; ac ut tam Commissarii, quam Custodes prædicti a suis Provinciis non aliter, quam juxta Constitutiones Generales Segobienses eligantur, quodque si Commissarii, & Custodes hujusmodi itinerare decedant, suffragium suum nemini, etiam tamquam Procuratori absentis, vel presenti committere possint, ac idem in aliis etiam Prælati, & Vocalibus juxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem servetur, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Cui Pont. annuit.

§. 4. Et insuper pro commodiori præmissorum executione Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ Octavi Prædecessoris nostri, quæ incipit: His quæ ad

Constat. Clement. VII. confirmat.



ad Regularium personarum statum, die 4. Martii 1600. Pontificatus sui Anno Nono editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, præsertim in Limentis Provincia ad Magistratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quam illi, qui ejusdem Provinciæ Alumni sunt, vel ad eam expresse, ac nominatim missi in Hispaniis, & cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholicos Hispaniarum Regis Curiam assistentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, innovamus, approbamus, & confirmamus. Declarantes sub illis verbis: Seu quodlibet aliud dignitatis officium, in dicta Constitutione expressis Ministri Provincialis, tam pro regenda Provincia, quam pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati, Vicarii Provincialis, Custodis, Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum, officia comprehendendi, & comprehensa intelligi.

Nec aliter iudicari posse decernit.

§.5. Sicut in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolice Cardinalis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolice Nuncios iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præmissa observari jubet.

§.6. Quocirca dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus dicti Ordinis Commissariis Generalibus in Indiis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis late sententiæ, privationisque suorum Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda poenis præcipimus, & mandamus, ut præsentibus literis, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter fervent, & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit, quomodolibet servari curent. Alioquin si eos hac in parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant, injungentes, & districte præcipientes dicto Joanni, & aliis pro tempore existentibus Ordinis prædicti Ministris Generalibus, ut citra conniventiam quamcumque poenas prædictas contra transgressores debite executioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias.

Derogat contrariis.

§.7. Non obstante statuto, & literis nostris prædictis, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Ministris Gene-

ralibus, ac Provincialibus, & Commissariis prædictis, aliisque Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specificis, expressis, & individuis, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis creti mandata.

§.8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibite, vel ostensæ.

Dat. die 6. Augusti 1639. An.XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die sexta Augusti 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

DCXXXV.

Confirmatio Decreti Congregationis Regularium circa delationem Habitus Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Nobis pro parte dilecti filii Marci Antonii Bottoni Bononiensis Tertii Ordinis Sancti Francisci Commissarii Generalis, & Procuratoris nuper expositum, fuit, quod inter generalia dicti Ordinis Statuta, apostolica auctoritate confirmata reperitur infra scriptum, videlicet:

Commiss. Gener. instantia.

§.1. Religioni consules decernimus, ut juxta nostra Apostolica privilegia, nostrorum habitus sit tunica talaris cum scapulari, veste, sive cucullo utrinque angulari, posteriori tamen angulo funiculum, tangenti: Pallium vero instar impluvii, nulla, vel coloris, vel formæ differentia, ut eodem modo, & colore, quem vulgo Beretinum appellamus, omnes vestiantur.

Decr. Cong. Regularium.

§.2. Verum, quia Fratres dicti Ordinis alicubi aliquando a Fratribus Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum super hoc de facto perturbantur: Nobis propterea dictus Exponens ad obviandum controversiis, & litibus quibuscumque humiliter supplicari fecit, ut præfatum decretum pro illius

Cujus petitur confirmatio.

DCXXXVI.

Facultas Georgio Conæo Scoto conceditur nominandi Præpositum pro Catholicis Angliæ.

Ex Reg. An. Secret. brev.

Dilecto filio Georgio Conæo Clerico, seu Presbytero Scoto.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Rom. Pont. gerentes in terris vices ejus, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit ad unam, quæ perierat, postquam Regnum Angliæ ab ovile Ecclesiæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ fecisset, anxii semper, & solliciti fuerunt, ne pusillus grex, quem sibi in eo Regno præservavit Dominus, a caulibus catholicæ fidei, aut christianæ unitatis, & charitatis aberret; ac proinde aliquos pro temporum diversitate Catholicos in eo Regno degentibus præfererunt, qui eos in spiritualibus dirigerent, & prout opus esset, alios in fide stabilirent, & confirmarent, alios humeris impositos ad gregem deportarent.

Rom. Pont. semper solliciti de Catholicis Angliæ.

§.1. Nos, quos pro officii nostri ratione eadem sollicitudo urget, attendentes, nullum ad præsens in Angliæ existere, qui commissa a Nobis auctoritate simile munus exerceat, volentes propterea aliquem in eo Regno esse, qui sub Præpositi nomine interea, dum Sanctæ Sedi Apostolicæ ita expedire videbitur, catholicos in spiritualibus dirigat, quærentibusque, aut indigentibus spirituale solamen promptè impendat, de tua fide, prudentia, integritate, catholice religionis zelo, & doctrina plurimum in Domino confisi, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi facultatem nominandi Præpositum in Angliæ Regno prædicto, qui omnibus catholicis in dicto Regno existentibus, sive iis, quos pro tempore existere contigerit, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum præsit in spiritualibus, & tamquam director spiritualis cum facultatibus prope diem submittendis præsideat, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Urban. Georgio Conæo Præpositum, eis prædicendi potestatem facit.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogaturque contrariis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Sept. 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Dat. die 10. Septem. 1639. An.XVII.

Confirmatio Decreti, de quo in Rubr.

Clausula.

Derogatio contrariis.

Dat. die 9. Septem. 1639. An.XVII.

Illius firmiori subsistentia, apostolica confirmationis patrocinio communi, de benignitate apostolica dignamur.

§.3. Nos igitur eundem Exponentem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

§.4. De Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio, decretum præfatum cum omnibus, & singulis in eo contentis apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.5. Decernentes illud, necnon præsentibus Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac primordietis Fratribus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter observari, nec eos a quoquam quavis auctoritate fungente, quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari posse, vel debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Septembris 1639. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.